17

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

CLEMENTI DIVINA PROVIDENTIA VNIVERSALIS ECCLESIÆ PAPÆ. XI.

EPISCOPVS CARTHAGINENSIS UNA CUM CAPITULO SUO.

BEATISSIME PATER.

1. *ITERIS Innocentij tota de hac re dubitatio ſublata eſt*, aiebat D. Auguſtinus (1) de Pelagiana hæreſi à S. Innocentio I. abſque vlla Oecumenica Synodo proſcripta. Quod & S. Proſper ſimilitèr firmavit: (2) *Tunc iſtorum machinæ fractæ ſunt, tunc in ſuperbiæ ſocijs, ac principibus corruerunt, quando beatæ memoriæ* Innocentius *nefandi erroris capita Apoſtolico mucrone percuſsit.* Corruerunt ſic attoniti, quod teſte rurſus Auguſtino: (3) *Cæleſtius ſe B. Papæ Innocentij literis conſentire profeſſus eſt.* (Erat enim Pelagianæ hæreſis ſectator) Hoc de illo ævo legimus.

2. Aſt de noſtro, quid auribus excepimus? Proh Deus! Quod edita Conſtitutione *Vnigenitus*, qua

(1) *D. Auguſt. contra duas Epiſtol. Pelagianor lib. 2. cap. 3.*

(2) *D. Proſper de gratia & libero arbitrio contra Caſian. cap. 41. initio.*

(3) *D. Auguſt. vbi ſuprà cap. 4.*

(Non latet nos, pro Sanctiſsimo nulla opus eſſe locorum citatione, omneſque ſuperfluere, cui omnia

S. V. Divino afflata Spiritu, voce Dei propositiones quasdam, vnam nimirum suprà centum, ex quodam libro Quesnel, Gallice exarato, cui titulus latine *Reflexiones morales in Novum Testamentum*, decerptas, vt omni Theologica censura vsque ad hæresim respectivè dignas Apostolico gladio iugulavit, sicut prædecessores S. V. anathemate inustas maiori ex parte per suas literas nobis dederant: cum ea promulgata, expectare de Jansenistis hanc eandem Cælestij confessionem possemus; tam longè ab eis hæc humilis abfuit confessio, quam suamet salus à verbis delictorum suorum. Etenim hi infensissimi veritatis, & auctoritatis Pontificiæ hostes, tanquam filij alieni mentientes, solatium miserorum in suis erroribus habere cupientes, sine intermissione indefessè cavillantes, labijs dolosis perversa loquentes, abducereque post se veritatis sectatores conantes, duo, vt non sine horrore suscepimus, execranda facinora commisere.

testimonia præsentia sunt; quia tamen hæc Epistola typis excusa ad alienas manus deveniet; operæ pretium duximus, & eas exprimere, & minutim signare: vt testimonia desiderantibus facilius appareant, & innumera alia legentibus ob hac occasione fiant.

3. Unum ex criminibus est, quod ex Orthodoxis Præsulibus, qui in Gallia præfatam Constitutionem solemnissimè in comitijs suis ferè vno ore admiserant, multos perperam agentes interturbarunt, persuaseruntque, vt de ea dubitarent, acceptare renuerent, obedientiam differrent, explicationem peterent, auctoritatem infallibilem Romani Pontificis in dubium denuò vocarent, ad accedentem Ecclesiæ consensum defectu Concilij recurrerent, non nullosque, vt ad futuram Oecumenicam Synodum appellationem interponerent, eius reformationem expecterent, & alia id genus. Hoc semper insane conantes, vt infallibilitatem Romanorum Pontificum, cui valde stomachantur, quamque deglutire non

valent, & in quam ſemper inſultant, & evertere, ſi poſsint, ſatagunt, etiam Catholici ſuis cavillationibus decepti, cæcutientes inſectentur.

4 Quod, vt obtineant, maximè conantur callidè oſtendere, ſe obſequium (Scripturam, Concilia, & Patres deridendo) Præſulibus præſtare in eo, quod enixè adſtruant, mordicuſque propugnent: Epiſcopos in Concilio generali ſuprà Romanos Pontifices eſſe, hoſque illis ſic congregatis ſubijci, ab illiſque ita collectivè ſumptis poſſe iudicari. Et ita, vt hanc infallibilitatem evellant, peſundent, & diſsipent, non verentur, nec timent Romanorum Pontificum Primatum vniverſalis Eccleſiæ, eorumque Monarchicum gubernium, ac plenam, & ſupremam in vniverſalem Eccleſiam poteſtatem, toties à Concilijs definitam, re ipſa (& ſi in terminis non audeant) audactèr deſtruere; ita Ariſtocratia hæc omnia vafre miſcendo,&,vt dicunt,temperando,quod nec Primatum, nec plenam, ſupremamque in vniverſalem Eccleſiam poteſtatem relinquant, ſed monſtrum quoddam fingant, quod nec Monarchia, nec Primatus, nec plena, & ſuprema poteſtas, ſed pura chimæra eſt. Quod totum deglutire,& cum eo Orcum ipſum, æternaleſque flammas non refugiunt, vt virus tantum, tamque virulentam rabiem in Romanum Pontificem, inque eius infallibilem auctoritatem mordaciter evomant. Heù nefanda crimina! Vah, qui deſtruere Eccleſiam Dei, fundamentum eius contendo, tanto livore conantur! Sed portæ inferi non prævalebunt adverſus eam.

5. Inſpiciant Janſeniſtæ retroacta tempora, revolvant hiſtoriæ Eccleſiaſticæ antiqua monu-

menta. Quid passa fuit Ecclesia ab anno 476. vsque ad 499.? omnibus notum est. Tam densæ tenebræ vbique per annos 23. terram operierunt, quod teste Baronio: (4) *Maiori intelliges esse digna ploratu, si Christianæ Religionis huius temporis damna perpendas. Videre namque est totum Christianum Orbem sub hæreticorum Principum Dominio constitutum, nullumque penitùs Catholicum Regem alicui saltem exiguæ Provinciæ dominari.* Quod ipsum Spondanus, & Cardinalis Bellarminus testantur. (5) Prævaluitne infidelitas tanta contra Ecclesiam? Testem experientiam ipsam habemus. Dicat iterum Baronius: (6) *Quis hæc considerans, animum non despondens, consternatus penitus mœrorem lachrymis decoctum silentio devoret, dum Ecclesiam vehementioribus vndique vndis propè modum mersam intelligit? Sed manet terra, Cœloque firmior, qua portas inferi vim omnem Sathanicam adversus eam minimè prævalituram Dominus pollicitus est. Fremat igitur quantumvis pelagus, sæviant venti, grandines increbrescant, explodantque nubes densa fulgura, insuper & deorsum evomant ignes inferi portæ, omnesque in eam rugiant feri leones, ibi degentes dæmones: Stabit tamen semper ovile Christi, & navicula Petri incolumis apparebit.*

6. A Gallia equidem anno 499. orta fuit radians stella, quæ mundum illustrans, caliginem tantam disipare cœpit. Audiant Jansenistæ, qui florentisimum hoc Regnum in tantum dedecus trahere in præsentiarum moliuntur, quod illius Regnicola Spondanus tradit: (7) *Sed vide providentiam Dei. Quo enim tempore tam densæ tenebræ operirent vbique terram, & caligo populos, adeò, vt nullus penitus in vniverso esset Orbe Princeps*

(4) Baron. anno 476. n.6. tom. 6.

(5) Spondan. anno 499. n. 4. Bellarmin. in Chronolog. ad annum 495.

(6) Baronius ibid.

(7) Spondan. ibid.

ceps Catholicus; *in Gallijs planè divinitus novæ lucis fulgidum ſydus apparuit*, *quo vniverſa Catholica Eccleſia deberet in infinita ſęcula illuſtrari. Hoc enim ipſo anno*, *qui Clodovei Francorum Regis numeratur* 15. *idem Clodoveus..... A Sancto Remigio Epiſcopo Rhemenſi cum maiori parte ſuorum baptizatus eſt.* Hæc Spondanus de illo ſæculo. Quid de præſenti miſera tempeſtate dicere nos valebimus? Quando quidem tantum lumen per totum Orbem Chriſtianum ſplendeſcens hodie Janſeniſtas obtenebreſcere maximopere cupere videmus, & prima illius Regni luminaria, vt hoc adipiſcantur, ad ſuum ſenſum trahere moliri. Væ miſeris! Sed nec his contenti, ad noſtram etiam Hiſpaniam ſua audacia ſe extendit.

7. Cum alterum facinus, quod de in commiſiſſe excepimus, ſit, de Hiſpanis Præſulibus proferre, & inſanè evulgare, Heu Heu! neque præfatam Conſtitutionem admiſiſſe, nec illi conſenſum præbuiſſe, nec obedientiam præſtitiſſe, immo nec, vt par erat, potuiſſe; cum nullum Conſtitutionis præceſſerit examen. Hanc impudentiſsimè notam nobis imponendo (hei nobis miſeris, ſi tanto facinore implicati fuiſſemus!) Ea temerè ducti ratione, quod cum ad manus noſtras pervenerit, & per Sanctæ Fidei in his Regnis pollens Tribunal fuiſſet fidelibus, vt invaluit mos, ex ſuggeſtu promulgata, ſiluerimus, nec eam in examen venire curaverimus. Ac ſi auditum de Hiſpanis aliquando fuerit, Decreta, Conſtitutioneſve Apoſtolicas à Sede Petri per Romanos Pontifices editas, & promulgatas aliter quam ſilentio eos vnquam acceptaviſſe; vel Decreta circa fidem, & mores, quæ ad Eccleſiam vniver-

ſalem in doctrina fidei, vel morum erudiendam; & paſcendam à Romano Pontifice tanquam Chriſti Vicario procedunt, examine, conſenſuve vllo egere potuiſſent: liberumve, nec vni ex Orthodoxis ea acceptare, vel reſpuere vſquam fuiſſet, vel futurum eſſe poſſet: quum omnia circa fidem à RR. PP. ex Cathedra definita, vt infallibilia, nullique errori obnoxia, nullo præcedente examine, amplecti, illiſque aſſenſum præbere cuncti omnino teneamur.

8 Idcirco, B. P., & ſi debitam noſtram Decretis Apoſtolicis reverentiam, quam cum primo lacte de matrum vberibus ſuximus, quodam modo offendi exiſtimemus, ſi de ea aliud præter fidem, & conſcientiam noſtram (de quo S. V. certam eſſe omnino ſupponimus,) authenticum teſtimonium demus, & proferamus; cum præter aſſenſum, qui præſtari continuò debet omnibus Decretis, quæ pro Vniverſali Eccleſia in doctrina fidei, vel morum erudienda, ab ea procedunt, non alio conſenſu, nec acceptatione, minuſve examine vllo egere credamus, & firmiter teneamus: tamen quia ſapientibus, & inſipientibus debitores ſumus, vt cunctis in Orbe Chriſtiano degentibus tam flagitioſum Janſeniſtarum mendacium, quo tam execrandam notam Religioſiſsimo noſtro Regno, eiuſque Præſulibus imponunt, innoteſcat; operæ pretium duximus, ſilentium abrumpere aliquando, Capitulumque noſtrum, Viris ſapientia, virtute, & eruditione florentibus pollens, in offenſione tanta excitare, vt vna nobiſcum, more ſolito, ante diem ad hoc ſpecialiter convocatum, vno ſenſu, Noſtri, & totius Cleri huius Dioceſis nomine

mine explicitum, authenticumque obedientiæ nostræ Constitutioni *Vnigenitus* confestim præstitæ testimonium exponamus.

9. Quod adimplentes, hodie post Missarum Solemnia, opportune (non sine animi nostri ingenti exultatione) occurrenti Festo SS. Apostolorum Petri, & Pauli, vno ore, animo non diviso, fideque vna fatemur, notumque facimus omnibus, qui tam probram maculam, nævumque tam fœdum nobis impingere ausi fuere, laudatæ Constitutioni *Vnigenitus*, ex quo ad manus nostras pervenit, protinus obedientiam, vt ipsius Domini voci per Os Petri prolatæ, incunctanter omnes præstitisse, cunctasque in ea contentas propositiones, vt reprobas, tantaque censura dignas, depulisse, vtque exosas, & damnatas vna cum libro *Quesnel*, ex quo decerptæ fuerunt, à nobis, Orthodoxisque omnibus curæ nostræ comissis, cum eisdem qualificationibus, quibus perculsæ sunt, semper à nobis habendas, & sic tenuisse eas, & tenere. Eandemque obedientiam quibusvis Constitutionibus, & Decretis, quamquam à S. V. se sola vel à RR.PP. sui successoribus, dummodo ex Cathedra ad Vniver. Eccl. in fide, vel moribus erudiendam procedant, iugitèr sine cunctatione esse pręstituros.

10. Quam obedientiam denuò lubentèr ingeminamus: In cuius perenne testimonium, sequentem publicam protestationē exhibemus. *Primò tenemus, & confitemur cunctos, qui nomine Christiano gaudent, præfatam Constitutionem* Vnigenitus Dei Filius; *paritèrque Decreta omnia à Sancta Sede circa Fidem, vel mores, etiam absque vlla Oecumenica Synodo procedentia, vti infallibilia, nullique errori obnoxia confestim sub anathemate amplecti, & obedire tenere.*

11. Se-

11. Secundo: *Nemini, sub eodem anathemate, fas esse à laudata constitutione, nec ab vllo alio decreto ex Cathedra procedenti ad Oecumenicum Concilium provocare, neque illius confirmationem expetere, expectareve; sed cunctos omninò fateri debere: Romanos Pontifices canonicè indubiè electos, vti Christi Vicarios, & Petri successores Primatu, & gubernio Monarchico præditos esse: Nullique Concilio Vniversali subijci, sed superiorē omnibus esse: Nullumque nisi eorum auctoritate, quod legitimum & Canonicum sit, posse congregari: Neque ab vllo eos iudicari: Neq̃ à Pontificibus circa Fidem iudicata vllo modo reformari: Nec circa mores, disciplinamve Ecclesiasticam, aut Christianam, nisi eis annuentibus, mutari. Quinimo ab vniversali Concilio statuta, sive ad Fidem, sive ad mores pertineant, vt vim habeant, ab illis confirmari debere.*

12. Tertio: *Nec vlli, consequenter, sub eodem anathemate licere, nec vnquam licuisse ad Ecclesiæ supervenientem defectu Concilij consensum pro hac infallibilitate Decretorum, Constitutionumve recurrere, illumve ad hanc obedientiam præstandam expetere, expectareve.*

13. Hæc est, B. P. Episcopi Carthaginensis, pariter ac eius Capituli plana, & aperta confessio. Ad hæc tria capita cuncta privilegia à Christo Domino in Beato Petro Sanctitati vestræ concessa, & in vnum, in infallibilem nimirum auctoritatem conspirantia, redacta conspicimus. Hac trina confessione cuncta gratantèr complectimur. Et ita omnia tibi fuisse concessa constantèr credimus, & tanquam Fidei regulam vsquequaque tenuimus, ac tenemus, & ad agonem vsque affatim tenebimus. Hæc semper fuit, est, & perpetuò erit Fides nostra. Hanc ex Oecumenicis Concilijs, in Scriptura, & Patribus fundatis

datis didicimus. Hacque fide, suomet exemplo edocti, laudatam S.V. Cōstitutionē *Vnigenitus* cōfestim suscepimus, & denuo reverenter excipimus. Ephesina enim Synodus lecta Epistola dogmatica S. Cælestini Papæ, in qua Nestorium absque vlla Oecumenica Synodo damnavit; protinus in hæc verba acclamatorio sermone prorupit. (8) *Hoc iustum iudicium, novo Paulo Cœlestino. Cœlestino custodi fidei. Cœlestino vniversa Synodus gratias agit.*

14 Concilium Chalcedonense, cui 600. PP. assiderunt, lecta Epistola dogmatica Sanctissimi Leonis Papæ ad Flavianum missa, in qua absque vlla pariter Oecumenica Synodo Eutychem, Dioscorum, & alios hæreticos damnavit, in hæc similiter prorupisse legimus: (9) *Reverendissimi Episcopi clamaverunt: expositionem alteram nullus fecit, neque tentamus, neque audemus exponere... Cecropius R. Episcopus Sebastopolitanus dixit: Emerserunt quæ ad Eutychem pertinebant, & super ijs forma data est à Santissimo Archiepiscopo Romæ Vrbis, & sequimur eum, & Epistolæ omnes subscripsimus. Reverendissimi Episcopi clamaverunt: Ita omnes dicimus, sufficiunt quæ exposita sunt, alteram expositionem non licet fieri.* Et alibi: (10) *Reverendissimi Episcopi clamaverunt: Omnes sic credimus. Papa Leo sic credit. Anathema ei qui partit, & ei qui dividit. Hæc fides Leonis Archiepiscopi. Leo sic credit,* Et alibi: (11) *Anathema ei qui non ita credit: Petrus per Leonem ita loquutus est.* Et alibi: (12) *Omnes Reverendissimi Episcopi clamaverunt, Dioscorum Deus deposuit. Dioscorus iustè damnatus est. Dioscorum Christus deposuit.* Et alibi: (13) *Qui non consentit Epistolæ*

(8) *Ephesina Synodus p. 2. act. 2. Extat tom. 1. Concilior. fol. 1471. iuxta collectionem novissimam P. Ioannis Harduini, excusam post Labbeanam. Parisijs anno 1714. Et tom. 2. fol. 282. iuxta collectionem Binij præmanibus frequentiorem Lutetiæ Parisiorum edit. anno 1636.*

(9) *Concil. Chalcedon. p. 2. act. 2. extat tom. 2. fol. 286. iuxta collectionem Harduinam, & tom. 3. fol. 211. iuxta collectionem Binianam.*

(10) *Idem ibid. iuxta Harduinam collectionem fol. 290. Et iuxta Binianam, fol. 214.*

(11) *Idem ibid. fol. 306. iuxta collectionem Harduinam, & 309. iuxta Binianam.*

(12) *Idem ibid. act. 4. fol. 414. iuxta collectionem Harduinam, & 309. iuxta Binianam.*

(13) *Idem ibid. iuxta Harduini collectionem fol. 418, iuxta alteram Binij 312.*

læ Sanctissimi Archiepiscopi Leonis hæreticus est.

15 Sexta Generalis Synodus, lecta pariter Epistola Sancti Agathonis Papæ ad Imperatores Constantinum, Heraclium, & Tiberium missa, in qua etiam absque vllo Oecumenico Concilio hæresim Monothelitarum anathemate iussit, hæc continuò protulit: (14) *Inspiratione Sancti Spiritus conspirantes, & ad invicem omnes consonantes, atque consentientes, & Agathonis Sanctissimi Patris nostri, & Summi Papæ dogmaticis literis ad vestram fortitudinem missis consentientes.* Et infrà *Confessionem tibi à Deo scriptam illa Romana antiqua Civitas obtulit, & dogmatum diem à vespertinis partibus extulit. Charta, & atramentum videbatur, & per Agathonem Petrus loquebatur.*

16 Septima Generalis Synodus, lecta similiter Epistola dogmatica Sancti Adriani I. ad Tharasium Patriarcham Constantinopolitanum scripta, in qua etiam absque vllo Generali Concilio hæresim Iconomachorum perculit: & similiter audita ea Tharasij confessione continuò ab eo facta, in qua, ex illo Pauli ad Romanos I. *Fides vestra annunciatur in universo Mundo*, deducit, Adrianum ex hoc privilegio non nisi verum circa imaginum venerationem potuisse docere, in hæc confestim prorupit: (15) *Tota Sanctissima Synodus ita credit, ita sapit, ita dogmatizat.*

17 Octava Synodus, de decreto Nicolai I. & Adriani II. Photium damnante, illud amplexans, illique consentiens, vt nos erudiret, vna cum ipsis hæc fassa fuit: (16) *Quod auctoritas Apostolicę Sedis vestrę decrevit, tota mente sequimur, & religiosa devotione veneramur, atque pro nosse, & posse nostro pia intentione, ac spirituali*

(14) *Sexta Synod. act. 18. Sermone acclamatorio Extat tom. 3. fol. 1419. iuxta collectionem Harduinam, & iuxta Binianam 275.*

(15.) *Septima Synod. act. 2. Extat tom. 4. fol. 103. in collectione Harduni, & tom. 5. fol. 570. in collectione. Binij.*

(16) *Octava Synod. act. I. extat tom. 5. fol. 744. in collectione Harduini & in collectione Binij, fol. 719.*

li conflictu defendimus. Quoniam sicut prędiximus, sequentes in omnibus Apostolicam Sedem, & observantes eius omnia Constituta, speramus, vt in vna Communione, quam Sedes Apostolica prædicat, esse mereamur, in qua est integra, & vera Christianæ Religionis soliditas; promittentes etiam, sequestratos à Communione Ecclesiæ Catholicæ, id est, non consentientes Sedi Apostolicæ, eorum nomina inter Sacra non recitanda esse Mysteria.

18. Si ergo festinatione, reverentia, & fide tanta SS. Oecumenica Concilia decreta dogmatica Romanorum Pontificum absque vlla Oecumenica Synodo edita, ita amplexata fuerunt: Quemadmodum omnes Ecclesiæ Patres, tum Græci, tum Latini à primo sæculo fecerunt, & reliqua omnia vniversalia Concilia fecere, & nos facere docuerunt, & ad illud cunctos teneri, diserte statuerunt (quorum testimonia, quibus hæc veritas definita demonstratur, longum esset referre, plenaque manu huc inserere valeremus, nisi latiori calamo hæc nostra triplex confesio foret prosequenda.) Quomodo aliter cum Constitutione *Vnigenitus* procedere, nisi omnia oblivioni tradendo, fas nemini esse poterat?.

19. Et Hispanis præcipue, qui à primo Toletano Cõcilio, sæculo 4., etiam ante laudata Generalia Concilia, de hoc in decretis fidei vno verbo per sequentem definitionem, quæ nobis sola sufficeret, sumus instructi: (17) *Si quis contra Sedem S. Petri faciat, anathema sit.* Sicut etiam à Sapientissimo Nostro Doctore D. Isidoro Hipalensi, qui de tota hac re in trina nostra confesione contenta, in Persona Episcopi

(17) *Concil. Toletan. 1. in assertione Fidei in fine. Extat in collectione Harduini tom. 1. fol. 994. Et in collectione Binij, tom. 1. fol. 741.*

(18) *D. Isidorus Hispalensis Epistola ad Eugenium Episcopum, quæ est 8. in ordine. Extat fol. 398. eius operum Matriti excussorum anno 1599.* De eius certitudine apud Hispanos non est dubium; & si in editione Parisiensi anni 1601. hæc, sicut & aliæ Epistolæ sint omnino omissæ. Licet in titulo epistolæ, quis fuerit iste Eugenius non exprimatur, constat fuisse Toletanum Episcopum, qui Iusto succesit, quique præfuit V. Concilio ibidem celebrato anno 636. post tres annos à celebratione IV. Concilij Toletani, cui D. Isidorus præcesit. Et hæc epistola absque dubio ea occasione à Sancto Doctore fuit scripta, quod multi tunc temporis renuebant admittere librũ Apocalipsis vt Canonicum; cum tamen à Sancta Sede vt tale esset declaratum, vt ex eodem Concilio Canone 16. constat. Vbi Isidorus, & PP. dicti Cõcilij statuerunt, vt Canonicum habendum, quia à Romanis Pontificibus ita erat constitutum. Et videri etiam potest Canon. 6. in quo PP. nihil definire circa baptismum per trinam immersio-

copi Eugenij nos, tanquam integerrimus Sacrorum omnium Canonum custos, & Toletanorum Conciliorum fidelissimus executor erudit, & insuper edocet de offensione, quæ Cathedræ Petri, Sedique illius inferretur, si aliud abeo, quod de auctoritate RR. PP. eius successorum sentimus, forsam traderemus. Ait enim (18) *Maioris sententiæ innodatio nisi ex dispensationis articulo à minori nequaquam valeat enodari; sed potius ab inferiori prolata, à superiore iure mediante cassetur, Orthodoxi quidem Patres Spiritus Sancti auctoritate prævia sanxerunt. Alitèr autem quolibet adstruente, sicut est vestræ prudentiæ cognitum, pravum suborietur, scilicet gloriatio securis contra eum, qui secat in ea. Quod verò de paritate agitur Apostolorum: Petrus prææminet cæteris, qui à Domino audire meruit: Tu vocaveris Cephas:* Tu es Petrus, &c. *& non ab alio aliquo, sed ab ipso Dei, & Virginis Filio honorem Pontificatus in Christi Ecclesia primus suscepit. Cui etiam post resurrectionem Filij Dei ab eodem dictum est:* Pasce agnos meos, *agnorum nomine Ecclesiarum Prælatos notans. Cuius dignitas potestatis, & si ad omnes Catholicarum Episcopos est transfusa, specialius tamen Romano Antistiti singulari quodam privilegio, velut capiti, cæteris membris celsior permanet in æternum. Qui igitur debitam ei non exhibet reverentèr obedientiam, à capite seiunctus Acephalorum schismati se reddit obnoxium, quod sicut illud Sancti Athanasij de fide Sanctæ Trinitatis, Sancta Ecclesia approbat, & custodit, quasi sit fidei Catholicæ articulus. Quod nisi quisque fideliter, firmiterque crediderit, salvus esse non poterit.*

20 De quo pariter Jansenistæ, si tanti Concilij, Docto-

Doctoriſq tãti teſtimonio edoceri renuunt, inſtrui abs dubio valerẽt, ſi ad propria Cõcilia, DD. q̃ ſuos ſimiliter recurrerent. Habent enim Cõcilium Arelatenſe, tempore SS. Leonis Papæ congregatum. Quod ad ipſum Leonem de Epiſtola eius dogmatica, in qua Eutychem damnavit, hæc illi indixit: (19) *Lectis Beatitudinis veſtrę literis, & omni inſtructione patefacta, omnes intra Gallias conſtitutos exultare mox fecimus .... Apoſtolatus veſtri ſcripta ita vt Symbolum fidei quiſquis redemptionis Sacramenta nõ negligit, tabulis cordis adſcripſit*. Et infrà: *Apoſtolicę veritatis luce perfuſus, errores ſui tenebras derelinquat, magiſque ſequatur & credat, quod per os veſtrũ Dñs. noſter Ieſus Chriſtus de Sacramento incarnationis ſuæ docet*. Nec non habent Concilium Arauſicanum 2. in quo hæc PP. opportuniſsime, pro præſenti materia illis tradidere: (20) *Pervenit ad nos eſſe aliquos, qui de gratia, & libero arbitrio minus cautè, & non ſecundum fidei Catholicę regulam ſentire velint: vnde id nobis ſecundum auctoritatem, & admonitionem Sedis Apoſtolicę iuſtum & rationabile viſum eſt, vt pauca Capitula ab Apoſtolica nobis Sede tranſmiſſa .... Ad docendos eos, qui aliter quam oportet ſentiunt, ab omnibus obſervanda proferre, & manibus noſtris ſubſcribere deberemus. Quibus lectis, qui hucuſque non ſicut oportebat de gratia, & libero arbitrio credidit, ad ea quę fidei Catholicę conveniunt, animum ſuum inclinare non differat*. Et immediatè exprimit omnia credenda, iuxta ea, quæ à S. Sede fuerunt ipſi tradita.

21. Nec minus inſtructi evaderent, ſi ab illis duobus luminaribus cunctam Galliam illuſtrantibus D. Thoma, & D. Bonaventura ſuper tota hac re lumen recipere non recuſarent. Habent enim vtrum-

nem factum, auſi fuere, vſque dum Apoſtolica Sedes de hoc conſuleretur. Ex quibus manifeſte, apparebit conſonantia huius epiſtolæ cum doctrina ab ipſo S. Doctore in hoc IV. Concilio tradita. Et hoc eſt Concilium; ad quod nuperis menſibus Doctor quidam Sorbonicus Hiſpanos per ſuas epiſtolas remittebat, vt in eo conſpiceremus quomodo decreta RR. PP. ex ipſis Concilijs Toletanis examine, & acceptatione egeant, vt vim habeant: cum oppoſitum ex illo manifeſtiſſimè appareat.

(19)
Concil. Arelatenſe iuſſu S. Leonis Papæ celebratum, vt conſtat ex eius Epiſtola 110. ad Rabenium Arelatenſem Archiepiſcopum, in qua hortatur, vt Epiſtola eius dogmatica ad Flavinianum miſſa, univerſis Fratribus in Gallia conſtitutis innoteſcat. Extantque citata verba in Epiſtola eiuſdem Rabenij Arelatenſis, & aliorum Epiſcoporum ad ipſum Leonem, quæ locum ſuum inter epiſtolas eiuſdem Leonis habet, inter 51. & 52. eius operum.

(20)
Concil. Arauſican. 2. in Gallia Narbonenſi celebratum tempore feli-

cis P. 4. S. Cæsario Arelatensi Archiepiscopo eius Præside. In Præfatione, seu cap. 1. Extat tom. 2. Concilior. fol. 1097. in collectione Harduina. Et in Bin.ana tom. 3. fol. 830.

vtrumque: & vnum, & alterum in Beato Augustino Triumpho, seu de Ancona, ex Augustiniana familia, eorum Discipulo, Doctore celeberrimo Parisiensi, in doctrina, & sanctitate conspicuo, de quo miras laudes Jacobus Philippus, Artmanus Schedel, Tritemius, Raphael Volaterانus, Sixtus Senensis, & alij quam plurimi concinunt, & præconizant, qui vtriusque Magistri sicut, & Patris eius Augustini doctrina illuminatus, hæc, rigore scholastico disputando, egregie tradit (21) *Respondeo dicendum, quod vna est fides totius Ecclesiæ, & modernorum, & antiquorum iuxta illud Apostoli ad Ephesios* 4. Vnus Deus, vna fides, vnum baptisma. *Ad illum autem pertinet determinare quę sunt fidei, qui est caput totius Ecclesię. Talis autem est Summus Pontifex Successor Petri, pro cuius fide singulariter rogavit Salvator ...... Sicut ergo omnes quæstiones emergentes de lege, & de cultu Dei reservabantur Moysi determinandæ: sic omnia quæ sunt fidei Christianæ, Papæ est proprie determinare. Vnde dicit Cyrilus in libro Thesauri: Vt membra maneamus in capite, in nostro Apostolico Trono Romanorum Pontifice maneamus: à quo nostrum est quærere, quid credere debeamus.* Et alibi (22) *Papam ergo posse aliquid addere supra illa, quæ sunt fidei, dupliciter potest intelligi: vel quantum ad dubiorum interpretationem, & terminationem, vel quantum ad occultorum, & implicitorum explicationem, vtroque modo potest Papa aliquid addere super illa, quæ sunt fidei: quia si aliqua sunt dubia, & obscura in fide, ad eum pertinet interpretari, & determinare. Post cuius determinationem hæreticum esset contrarium pertinaciter asserere.*

(21) *B. Augustin. Triumph. de Potestate Ecclesiastica. quæst. 10. articul. 1. in corpore.*

(22) *Idem iœdem, art. 3. in corpore.*

22. Et alibi (23) *Sine Papa ergo, vel eius auctoritate in Concilio nulla fieri potest electio de his quæ proponuntur; ideò dicitur 16. dist.* Auctoritas congregandorum vniversalium Conciliorum penes Apostolicam Sedem residet: quia absque Romani Pontificis auctoritate Concilium nec firmitatem, nec auctoritatem habet. *Est similiter alia ratio quare à Papa ad Concilium appellari non potest; quia, &c.* Et alibi: (24) *Solus etenim Papa dicitur esse Vicarius Dei: quia solum quod ligatur, vel solvitur per eum, habetur solutum, & ligatum per ipsum Deum. Sententia igitur Papæ, & sententia Dei vna sententia est: sicut vna sententia est Papæ & Auditoris eius. Cum igitur appellatio semper fiat à minori Judice ad superiorem, sicut nullus est maior se ipso: ita nulla appellatio tenet facta à Papa ad Deum: quia vnum Consistorium est ipsius Papę, & ipsius Dei, cuius Consistorij Claviger, & Ostiarius est ipse Papa. Nullus ergo potest appellare à Papa ad Deum; sicut nullus potest intrare ad Consistorium Dei, nisi mediante Papa, qui est æternæ vitæ Consistorij Claviger, & Ostiarius; & sicut nullus potest appellare ad se ipsum, ita nullus potest appellare à Papa ad Deum; quia vna sententia est, & vna curia Dei, & Papę.*

23. Et alibi: (25) *Respondeo dicendum, quod Articulus Fidei est credere Vnam Sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam. Vnitas autem istius Ecclesiæ, & firmitas est ex vnitate, & firmitate Capitis. Quicumque autem credit à Papa posse appellari in præsenti vita ad hominem, credit aliud Caput esse in Ecclesia præter Papam, & sic non credit Ecclesiæ vnitatem. Quicumque autem credit à Papa posse appellari ad Deum ordine iudiciario, credit huiusmodi* vr-

(23) *Idem ibidem, quæst. 6. art. 6. in corpore.*

(24) *Idem ibidem, art. 3. in corpore.*

(25) *Idem ibidem, quæst. 7. art. 8. in corpore.*

ordinem iudiciarium nõ eſſe à Deo inſtitutum inter homines fieri in præſenti vita, & ſic peccat contra Apoſtolicam auctoritatem. Hæc fuit doctrina in Gallia ſemper edocta, hæc veritas ſemper crèdita, tãquam ab Oecumenicis Concilijs, ex Scriptura, & PP. tradita.

24. Hæcque, B.P. conſtantiſsima fides noſtra. Quod enim Oecumenica Concilia de Decretis dogmaticis Romanorum Pontificum, faſſa fuerunt: quod de noſtra debita obediẽtia, ac de eorũ infallibilitate ſenſerunt, ac ſtatuerunt, pariter & nos de Cõſtitutione, auctoritateque Veſtra ſentimus. Hoc tenemus: & vti in trinis noſtris confeſsionibs continentur, omnia ſic credimus. In hac fide moriemur. Pro ea propugnanda, ſi opus eſt, ſanguinem noſtrum ad animæ vſque deliquium fundere, parati ſumus. De eoque cunctos, qui aliter de nobis audacter fuerint ſuſpicati, certos facimus.

25 Solũmodo enim nobis ſupereſt, vt finem huic Epiſtolæ ponamus, quod vna voce, cordeque & animo vno, quæ de Adriano II. 8. Synodus expreſsit, eadem & Nos de S. V. repetamus: (26) *Quia cor Apoſtolatus tui gratia Sancti Spiritus conſpicimus illuſtratum; repletum eſt gaudio os noſtrum, & lingua noſtra exultatione, ideoque innumeras laudes, & cantica ſpiritualia Domino decantantes, Pontificium veſtrum Divinæ Maieſtati perpetuò ſervandum quotidie commendamus; quia Paternarum traditionum ſtrenuus executor, & Sedis Apoſtolicæ privilegiorum diligens conſervator, atque Apoſtolicę memoriæ deceſſoris veſtri conſtitutorum ferventiſsimus, vt cernimus, zelator exiſtis.*

(26) *Octava Synodus, Actione 8. in reſponſione Concilij ad 1. Adriani 2. allocutionem extat tom. 5. fol. 864. iuxta collect. Harduinam. Et tom. 6. fol. 785. iuxta Binianam.*

26. Hoc B.P. quod S. Synodus de Adriano cõcinuit, & Nos de S. V. buccinamus. Quod à Deo pro illo flagitavit, pro S. V. ſine fine cõtinuo petimus;

mus; vtque perpetuo incolumen S. V. servet, prout Ecclesia Sancta, hac præsertim misera tempestate, eget: Nosque obsequentissimi S. V. Filij ardentissimè concupimus.

Tandemque, vt ad metam huius Epistolæ perveniamus, in præmissorum fidem hoc explicitum, authenticumque testimonium nostri, ac totius Diœcesis nomine, manibus nostris subscriptum, & per præsentem Capituli nostri Secretarium signatum, nostrisque sigillis munitum, alacriter in Aula Capitulari huius nostræ Cathedralis Ecclesiæ damus Murciæ, eadem die 29. Junij, anno 1718.

SANCTISSIME PATER

Ad B. V. Sacros pedes provoluti
Humillimi, & obsequentissimi filij.

CLARISSIMO VIRO, EXIMIOQUE DOCTORI DE CASTELL, ABBATI DE ALCALA LA REAL,

S.D. de Rabechet Sorbonæ Doctor, & Sindicus.



UM Codices noſtros, non ſolùm Illuſtriſsimis Hiſpaniæ Epiſcopis, ſed etiam multis omnium Clariſsimis Theologiæ Profeſſoribus, & Magiſtris, legendos obtulerim; hoc ipſomet officio erga te fungi, nequaquam dubito. Hac enim in diſputatione, ea eſt mens, vt veritas inquiratur, & cognoſcatur. Nec ignoras, quam multi, ex vna, vt ita dicam, domo, exeunt contra nos libri, non ſententijs, ſed iniurijs graves, qui quamvis ex primis ianuis affirment, ſe ſpecioſos pedes Evangelizantium habere, certè tamen factis negant, pedes Evangelizantium pacem; quare, ſi placuerit, pergratum nobis facies, ſi de tua mente, hac in re certiores nos velis, quod etiam ab alijs multis confidentèr ſperamus; tu verò, ſi de te in aliquo benè mereri poſſum, ſcias, me tuis lubentiſsime obtemperaturum mandatis. Vale.

Epiſtola iſta intus afferebat concluſiones, Typis mandatas, & à ſacra facultate celebratas à die 1. Octobris 1715. vſque ad 11. Maij 1716.

RES-

RESCRIPTVM ILLVSTRISSIMI Doctoris D. Didaci Castell, olim in Academia Complutensi, Primariæ, & Supremæ Cathedræ Divi Thomæ, Moderatoris.



EPistolam tuam lætus susciperem, mei memorem, si non perlegerem Sacram Facultatem Theologicam Parisiensem, vnanimi consensione non aceptasse Constitutionem *Unigenitus*, SS. Domini nostri Clementis XI. nunc feliciter in Ecclesia Regnantis; ita enim lego: (1) *Insuper declarat Sacra Facultas, falsum esse, quod prædictus M. Humbelot dixit, constitutionem, quæ incipit, Unigenitus, acceptatam fuisse à Sacro Ordine*; & eligit notum facere Hispaniæ Theologis, & Episcopis constantem hanc, & vnanimem confessionem suorum Magistrorum, numero plurimorum: Academia illa florentissima, scientiarum fæcundissima Parens, omnium Theologiæ Scholasticæ Principum Magistra, non acceptare Constitutionem *Unigenitus*, publicè fatetur! *Ita* (2) *obscuratum est aurum, mutatus est color optimus.* Hæc non est illa Sacra Facultas, quæ olim omnes Academias docuit obedientiam, subiectionem Ecclesiæ Summo vertici, successori Petri, Christi Vicario? Cum assereret Gelasius Secundus: *Si quis dicat portum Romanæ Ecclesiæ, & fluctuantis Naviculæ Petri Galliam esse, non mentitur.* Et nunc publicè defenduntur doctrinæ offensivæ supremæ Pontificiæ authoritatis? (3) *Petra illa super quam ædificata est Ecclesia, & portæ Inferi non prævalebunt adversus eam*, est de qua scriptum est: (4) *Qui ceciderit super lapidem istum confringetur, super quem verò ceciderit conteret eum?* (5) *Singulare periculum, singularem exigit operam, fundamentum concutitur, & tamquam imminenti ruinæ totis est nisibus occurrendum.*

(1) *Ex Sacra Facultat. die 10. Februarij, ann. 1716.*

(2) *Thren. 4.*

Apud Baron. in Gelas. II.

(3) *Matth. 16.*

(4) *Matth. 21.*

(5) *D. Bernard. lib. 2. de Consid. ad Eugen.*

Chri-

Christus D.N.B.Petro, & successoribus eius, oves suas pascendas commisit, dicens: (6) *Simon diligis me? Pasce oves meas.* Nunquid Sacræ Sorbonæ Doctores non sunt de ovibus, quas Filius Dei Beato Petro commisit? (7) *Nihil excipitur, vbi distinguitur nihil.* Christus tamen asseruit: (8) *Oves meæ vocem meam audiunt.* Audiemus Lutheri blasphemam vocem: (9) *Quo iure Papa super nos leges constituit?* Audiemus illud Apostatæ impij Archiepiscopi Spalatensis delirium: (10) *Parisiensium doctrina, enucleatè intellecta, nihil discrepat à mea... Schola itaque Parisiensis, & nostra est: quare ex eius quoque doctrina, Papatus nullo potest solido subsistere fundamento?* A qua odiosa calumnia, & execrabili impostura, pro honore, & fama sua, (11) se purgavit Sacra Facultas: (12) *Unde, quæso vos, adversus impium Dogma, divino sanctizeli fervore concurrite; servetur Ecclesiastica in sua puritate Doctrina, nec eam vexare permittatur terrena sapientium turbulenta versutia.*

Sacram Facultatem alloquar verbis illius venerabilis Antististis sui, qui forte præscius huius tempestatis, ait: (13) *Contra Apostolicam Sedem caput erigitis, dum, quod illa ędificat, vos quantum in vobis est, destruitis: Et, quod illa destruxit, vos ædificare contenditis: cuius Iudicijs, & Constitutionibus obviare, est hæreticæ pravitatis notam incurrere.* Hanc lividam notam, Sacra Facultas, in Orbe Christiano celeberrima, omninò submoveat.

(14) *Mens Sacræ Facultatis est, vt veritas inquiratur, & cognoscatur:* (15) *A Cathedra vnitatis accipite scientiam veritatis.* Auscultate Chrysologum: (16) *In omnibus hortamur, te frater, vt his quæ a Beatissimo Papa honorabilis Romanæ Civitatis præscripta sunt, obedientèr attendas, quàm B. Petrus, qui in propria Sede, & vivit, & præsidet, præstat quærentibus fidei veritatem.*

Certiores de Hispaniæ Theologorum, & Episcoporum mente esse vultis: Non hic timemus, quòd serpentis virus subrepat subdolis doctrinis, quæ cardinem Ecclesiæ concutere intendunt. Iam enim diù de hac immu-

(6) Ioann. 21.

(7) D. Bernard. lib. 2. de Consid. ad Eugenium.

(8) Ioann. 21.

(9) Luth. de Capt. Babil. cap. de Bapt.

(10) Marc. Ant. de Dominis de Rep. Christ. lib. 4. cap. 7.

(11) Sorbon. 15. Decemb. ann. 1717, damnavit 47. Propos. Marci Anton. Domin. apud Beca. tom. 5. Opuscul. in proœmio, & lib. 2. cap. 5.

(12) S. Petr. Dam. Opus. 6. cap. 34.

(13) Venerab. Ivo, Epist. 8.

(14) Epist. D. Sindici.

(15) Clem. XI. Epist. ad Episcop. Gal. 17. Mart. ann. 1714.

(16) munitate gratulabatur Hiſpanis Cardinalis Hiſtoricus: (17) *Hoc planè ſibi laudis vindicavit Eccleſia Catholica in Hiſpania, vt non ab erroribus tantum, ſed à ſuſpicionibus eſſe voluerit immunem, quo factum eſt, vt ex hoc ipſo noſtro ſæculo, cum longè, lateque facibus Hæreticorum orbis inflammaretur, ipſa illæſa perſtiterit, accurrentibus ſumma celeritate Dei Miniſtris, ſi vel tenuem ſcintillam viderint, latentis ignis indicium.*

S. Petr. Chriſ. Ep. ad Euthychetem.

(17) *Baron. ann. 563.*

Eccleſiam hodie, ipſo in vertice, quominus impetitam deflebimus, heù, non tantum ab hoſtibus, ſed ab his qui alias ſe iuſtè iactitarent filios primogenitos: (18) *Sed Nos* (Hiſpani) *propugnamus Sanctum, ac communem Patrem noſtrum, tamquam Fidei fulcimem, veritatis canonem, atque Eccleſiæ caracterem.*

(18) *D. Baſil. Magn. Epiſt. 88.*

Conſtitutiones ex Cathedra Petri indubie ſequimur omni veneratione ſuſcipimus: In Concilio Complutenſi confirmato à Sixto IV. condemnatus fuit Petrus Oxomenſis, nomine etiam Hæreſis, in eo quòd aſſeruit: (19) *Eccleſiam Urbis Romæ errare poſſe*: Et Sancta Hiſpaniæ Generalis Inquiſitio, proſcripſit hanc Propoſitionem: (20) *Papam in dirimendis ex Cathedra fidei queſtionibus, non eſſe infallibilem*: vt minimum, tamquam erroneam, & Hæreſi proximam.

(19) *Extrav. Sixti IV.*

(20) *Aguirre tract. 3. ſect. 4.*

Hiſpani Theologi diſcunt ex Auguſt. (21) *Reſcripta Apoſtolica venerunt, cauſa finita eſt: Utinam aliquando finiatur error.* Quærimur cum Aug. (22) *Adhuc inſuper flagitant audientiam, cum damnati debeant agere pœnitentiam.* Poſt definitionem ex Fidei Cathedra, deſiderare conſenſum vniverſalis Eccleſiæ, vt ſub anathematis fulmine lex obliget, eſſe omninò falſum, ex ipſo Aug. (23) *Eccleſiæ Lingua*, convincimus: (24) *Aut verò Congregatione Synodi* (ait Mag. Parens de Pelagianis) *opus erat, vt aperta pernicies damnaretur, quaſi nulla hæreſis aliquando*, niſi Synodi Congregatione damnata ſit, cum potius rariſsimæ inveniantur, propter quas damnandas, neceſsitas talis extiterit, multoque ſint, atque incomparabilitèr plures, quæ vbi extiterunt, illic improbari, damnarique meruerunt, atque inde per cæteras devitandæ, innoteſcere potuerunt. Verum iſtorum ſuperbia hanc gloriam captare intelligitur vt

(21) *Aug. de Verb. Apoſt. ſerm. 2.*

(22) *Aug. C. 2. Ep. Pelag. lib. 1. cap. 23.*

(23) *S. Petr. Dam. Serm. 61.*

(24) *Aug. contr. 2. Ep. Pelag. lib. 4. ad Bonif. cap. vltim.*

℣t propter illos, Orientis, & Occidentis Synodus congregetur. Orbem quippè Catholicum, quoniam Domino eis resistente, pervertere nequeunt, saltim commovere conantur, cum potius vigilantia, & diligentia Pastorali, post factum illis competens, sufficiensque iudicium, vbicumque isti lupi apparuerint, conterendi sunt; sivè, vt sanentur, atque mutentur, *sivè vt ab aliorum salute, atque integritate vitentur.*

Sum Sorbonæ Doctor, Complutensis enim Academia est Sorbonæ fraternitatis vinculis coniuncta; Gradûs iuxta Sorbonæ praxim, Sanctus (ita vulgo vocatur) Hispaniæ Cardinalis Dominus meus, Erector Academiæ nostræ, instituit, qui Parisijs Sorbonica, mei Maioris Collegij appellatione, Alphonsina dicitur: semper in gradibus primus fui designatus: Centum, & septuaginta septem Actuum in Gymnasio Theologiæ præsidem egi; per viginti duos annos Cathedras à Phylosophiæ, vsque ad Primariam Supremam D. Thomæ moderatus sum: (25) *Si quid habeo, à Deo sumpsi, non à me præsumpsi; atque ab illo in me perfici fidelitèr spero, à quo inchoatum esse humilitèr gaudeo: nec in eo, quod adhuc non donavit incredulus, nec in eo, quod iam donavit ingratus.* Hæc dixerim, non vt prolixa Epistola onerosus sim; sed vt si mavis exprimere, quid iudicat Sorbona difficilè in Constitutione *Unigenitus*, responsum tibi præsto reddam, refertum S.Scripturæ, Conciliorum, Augustini (post Doctorem Gentium) primi gratiæ Doctoris, & SS.PP. testimonijs ad verbum expressis: Cum in opere de Lege, & Gratia sufficienti, quòd iam diù sub prælo est, iustissimè esse illa 101. Dogmata Apostolico mucrone percussa, solidè contendo: Aliud in tui obsequium offerre, non potest invtilitas mea. Vale.

(25) *Aug. Epist.* 52.